



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

**Romae, 1658**

Franciscus Gherius Episcopus Ceruiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9857**

## Flaminius Marcellinus Episcopus Cefenæ.

**C**hristus assistens Pontifex futuorum bonorum sciscitanti  
 cuiusdam, quid boni faciendum sibi esset, ut vita frueretur  
 æterna; respondit, seruanda esse mandata: Ei autem affirmanti,  
 hæc se custodisse à iuuentute sua, prorinus dixit: si vis perfectus es-  
 se, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habe-  
 bis thesaurum in coelo: & veni sequere me. Petro insuper,  
 qui iam cuncta reliquerat, & ipsum fuerat secutus, ad vbe-  
 riorem asserti amoris significationem, oues proprio nuper san-  
 guine redemptas, tanquam Pastorum Princeps, pascendas ite-  
 rum, ac tertio commisit. Quæ omnia Beatum Thomam de Vil-  
 lanoua præstitisse cum pro comperto habeatur: hæud dubium  
 mihi videtur, Beatissime Pater, quin ille per Sanctitatem Vestram,  
 quæ Christi Domini vices gerit in terris, Sanctorum numero sit  
 adscribendus; maxime verò cum Serui sui sanctimoniam, multi-  
 plici miraculorum operatione, omnipotens Dominus testatam  
 voluerit.

## Franciscus Gherius Episcopus Ceruiæ.

**V**enerabilem Virum Thomam de Villanoua, iam antè  
 annos quadraginta à sanctæ memoriæ Paulo Quinto  
 titulo Beati insignitum, iure optimo nunc æquum mihi vide-  
 tur, ut publico Ecclesiæ, hoc est tuo, Pater Sancte, iudicio  
 definiatur, feliciter inter sanctos regnare cum Christo: qui lu-  
 minis Ecclesiæ Augustini instituta, moresquæ secutus est: qui ad  
 Episcopatum vocatus fuit, tanquam Aaron: qui domui, & ou-  
 bus suis non tam præfuit, quam profuit, eas alendo, nu-  
 triendo, doctrina, verbo, exemplo, & operibus misericordiæ,  
 ut verè de eo dici possit: fuit laudabilis, quia irreprehensibilis: se  
 custodiuit ab hoc sæculo: non abiit post aurum, nec sperauit in  
 pecuniæ thesauris; sed disperfit omnia, dedit pauperibus, nu-  
 dus reuersus illuc, vbi iustitia illius manet in sæculū sæculi, fruens  
 promissis per Deum à constitutione mundi viris misericordiæ: qui  
 miraculis ante, & post transmirationē claruit deniq.

Decet igitur

tur, illi decerni sacros honores, vt posita tam præclara lucerna super Candelabrum, tum Regularis, à quo prodijt, tum Episcopalis Ordo, in quo emicuit, magis magisque illustretur; cætera quoque plebs Christi, proficiens de exemplis virtutum illius, in rectam salutis semitam dirigatur, tota lætetur Ecclesia cum nobili turba Sanctorum in die Canonizationis, & Respublica Christiana, noui huius Patroni meritis, in tot calamitatibus aliquando respiret.

### Marcus Antonius Oddus Episcopus Hierapolitanus.

**B**eatissimus Thomas à Villanoua virtutum splendore, & Spiritus Sancti flamma coruscans, tanquam lucerna ardens charitate, ac lucens exemplo, iure optimo meretur, Beatissime Pater, non amplius detineri sub modio, sed in sublimi Ecclesie Candelabro poni, vt coelestibus consecratus honoribus, luceat omnibus, qui in domo Dei sunt.

### Augustinus de Bellis Episcopus Soranus.

**T**ot Sanctitatis monumenta, quæ de Beato Thoma de Villanoua, Cælo teste, nuper accepimus; tot, inquam, illustrium miraculorum spectacula; tam ingens virtutum heroicarum seges; fidelium omnium in illum cultus; sacre Rituum Congregationis solertia in his omnibus expendendis; supremi tandem Pastoris vigilantia, in his elimpidandis, testatum faciunt, inter Cœlites illum fixisse sedem: Censeo igitur in Sanctorum numerum à Sanctitate Vestra referri posse.

### Bernardinus de Aragona Episcopus Bouen.

**O**b præclaras virtutes, ardentemque in Deum, & in proximum charitatem, vt ex his, quæ de eius sanctitatis fama,

ma,